Gl
14
380

Harvard College.
1865.

Digitized by Google

5.84

2358

Gt 14.380.

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.

CHRISTO ET ECCLESIAE

BOUGHT WITH

THE INCOME FROM THE

SUBSCRIPTION FUND

BEGUN IN 1858.

23 Jan. 1873.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

THEOCRITI CARMINE AEOLICO

RECENS INVENTO.

EPISTULA CRITICA

AD

V. CL. HERMANNUM FRITZSCHIUM

PROFESSOREM LIPSIENSEM

SCRIPSIT

(Friedrich Hermann)
THEODORUS FRITZSCHE

PHIL. DR. GYMN. GUSTROV. MAGISTER ORD.

ROSTOCHII

LITERIS ADLERIANIS.

MDCCCLXV.

Digitized by Google

Gt 14.380

1873, Jan. 23.
Subscription Fund.

Digitized by Google

Quod carminis Theocritei nuper primum a Bergkio editi meam qualiscunque est recognitionem ad Te potissimum misi, Vir Carissime, id nulla alia de causa nemo ignorabit factum esse, nisi ut nomine Tuo inter editores poetae Siculi celeberrimo fidem libello et auctoritatem compararem. Itaque hocce munusculum velim accipias benigno indulgentique animo, quo erga me soles uti, meque id maxime putes egisse, ut non tam mea Tibi commendárem placita, quam ut gravissimam Tuam de carmine suavissimo elicerem sententiam. Quodsi assecutus fuero, verendum non est, ne opera mea male collocata esse dicatur.

Ego vero, ne inconsultius Tibi videar agere in tractando carmine aeolico eoque non mediocriter corrupto, praemonebo quomodo factum sit ut ad novam ejus editionem me accingerem. Bergkii enim exemplar cum mihi allatum esset, facere non potui, quin carmen ab hoc viro ingeniosissime restitutum et emendatum iterum iterumque legerem novaque semper cum voluptate eo redirem. Itaque quo saepius emendatos versus cum codicis scriptura compararem, eo majore afficiebar admiratione copiosae viri celeberrimi doctrinae rarique acuminis; simul tamen evenit, ut nonnulla mihi immutanda viderentur. Accitis igitur praeter aeolica Theocriti carmina Alcaei Sapphonisque fragmentis quaeque de dialecto Ahrensius maxime praecepit, diem ex die crevit amor quae ipse putarem probabiliora habere literis mandandi. Huc accessit fateor ut aptissima mihi oblata videretur occasio, Bergkio, quem praeceptorem studiorumque rectorem grato animo pioque colo, publice testandi quid deberem, ne forte propter nimiam taciturnitatem in ordinem ingratissimorum discipulorum relegarer.

Carmen a Guil. Studemund, cujus de canticis Plautinis merita Te non fugerunt, in codice Ambrosiano membranaceo

Digitized by Google

B. 75, saeculi ut ferunt XVI (apud Ahrensium si recte intelligo = cod. c, = Mediol. 3 Ziegler.) feliciter repertum Theocriti esse a Bergkio ita demonstratum est, ut nihil superesse possit dubitationis. Quamquam enim liber Theocritum hujus quidem carminis auctorem disertis verbis non indicavit, tamen et propter sermonis proprietatem et poeticam similitudinem certissimum est ejusdem esse poetae, a quo Th. XXVIII (*ΗΛΑΚΑΤΗ*) et XXIX (*ΠΑΙΔΙΚΑ*), quae hoc poematium nullo spatio interjecto excipit, profecta sunt. Ipsa autem haec carmina Theocrito abjudicare vetamur a scriptore *Ὑποθέσεως* (etiam in Ambr.), qui *ΗΛΑΚΑΤΗΝ* ei vindicavit et a gravissimo scholiasta Platonis p. 377 atque etiam Tzetzae in Crameri Anecdotis Oxon. III. 315, qui *ΠΑΙΔΙΚΑ* XXIX indidem originem duxisse confirmaverunt. Continentur autem tria haec carmina communi codicis significatione *ΠΑΙΔΙΚΑ*, quam bene animadvertendum est cuique eorum inscriptam esse, unde plurali numero singulare carmen insigniri apparet. Quam rem ut vulgari Graecorum usui adversetur, non omni tamen carere analogia ipse Bergkius demonstravit aptissime afferens Anacreontis *ἐπιθαλάμια*. Sed cum puer amatus omnino plurali numero *παιδικὰ* dici consueverit, nescio an laxata hujus vocis significatione poematia id genus non nisi pluralem numerum usurpaverint. Quae vero et quanta inter tria haec carmina intercedat necessitudo facile intelliget qui spectaverit, praeter ipsam dialectum omnibus communem metrum nostri carminis idem esse quo *ΗΛΑΚΑΤΗ* conscripta est, argumentum idem quod est carminis XXIX, ita quidem ut suavissima quaedam conjunctio utriusque poematii nostro efficiatur. Certissimum autem verae originis documentum a dialecto et elocutione repetendum est, quam non discrepare a solito Theocriti more Bergkii auctoritas confirmavit. Conscripta enim sunt tria haec carmina eodem Aeolensium sermone, „quali tunc Lesbii et finitimae civitates utebantur“ (B. p. VII, cf. p. VIII et IX). Unde cum appareat quae fragmenta incorruptam veterum Aeolensium dialectum servaverunt, ea non nisi cunctanter ad emendandos Theocriti versus adhiberi posse, improba quaedam dubitatio non raro exoriatur ei necesse est, qui vel Bergkio duce ipsius inconstantiae constantes leges assequi voluerit. Cadit hoc in

Digitized by Google

psilosin, quam Bergkius (cf. p. VII) „iis tantum locis, ubi codicis fide nititur adhibuit, quamquam certum est hanc inconstantiam a poeta alienam esse.“ Itaque praeterquam quod v. 19 codicis scripturam *αὔριον* librarii errori recte tribuit, ubique servavit spiritum asperum ne excepto quidem v. 9 *ὤ̔ρος*, quamquam ipse adjecit psilosin suadere comparationem v. 29 *ὦγα θέος*. Inveniuntur autem in codice asperi praeter *αὔριον* exempla XVIII, ad quae accedunt v. 20 *ἄβας* (cf. Alc. fr. 101 *μετέχων ἄβας* et *ἔφαβος* apud Ahrensium I p. 24) et v. 30 *ος*, ubi spiritum Bergkius addidit, cum contra v. 32 codicis lectio *ὁ* ab eo mutata sit. Articulus, cui et ipsi apud veteres Aeoles psilosin propriam fuisse Bergkius denuo affirmavit p. IX, eadem constantia qua in titulis Aeolicis et in Aeolicorum poetarum reliquiis manu scriptis etiam in nostro codice servavit spiritum asperum (ter *ὁ*, semel *οἱ*) neque minus pronomina demonstrativa et relativa quaeque ex iis derivantur (*ὁπόσον ὁπποσάκι ὅσον ὅσσαπερ ὅτι* (B. *ὄττι*) *οὗτος*), cum contra quod uno v. 25 legitur *ὅτις* (B. *ὄττις*) satis muniatur Sapph. fr. I. 15 sq. *ὄττι-κὤττι-κὤττι*. Huc accedunt *ἁμέραν* (at *ἐπάμερον*) *ἕλκειν ἕλκος ἕρπει ἑτέρα χἄτερα εὑρεῖν ὕπνω ὧρα*, quibus testimonia ex Ahrensio et e fragmentis, ubi eodem ad unum omnia spiritu utuntur, ascribere piget.

Similis est accentus in codice conditio, quem ubique fere scriba accurate servavit, nisi quod paucis locis intelligere non potuit quae in archetypo scripta extiterunt et laudabili fide depinxit ductus, unde periit accentus in vocibus partim corruptis v. 13 *ἐπύσθησθ'* (B. *ὄϊδησθ'*, ego *συνέτησθ'*) v. 20 *ἀνθεμονάβας* (B. *ἄνθεμον ἄβας*) v. 27 *ὁπποσάκιννεν* (B. *ὁπποσσάκι μεὶς*, ego *ὁπποσσάκιν εἴ* [*νατοι*]. Erravit tamen v. 6 *ἐπίτυχην* v. 11 in mutila voce *διέλεξε*, v. 12 *τὶ* v. 20 in corrupto *πεδεμαλικῶ*, v. 28 *χρὴ*, v. 31 *κυπρογενῆας* et communi multorum librariorum in diphthongis errore v. 1 *κάινομόρω*, v. 20 *άυ*[τ'] et v. 32 *ἄυρας*. Accentus autem mere aeolicus servatus est in vocibus *κάλω λεύκας σμίκρας καὔτας θέος φόρειν* et in infinitivorum breviore forma [*ἐ*]*πιτύχην* (sublato scribae errore) *ποτίδην ποντοπόρην*. Ubi cum dubium esse nequeat, quin ipsa poetae manus nobis tradita sit, scrupulum injicit v. 14 *ὦρα*, quam vocem Bergkius

correptam ultimam, qualis est in Ἀφρόδιτα, habuisse sibi persuasit. Sed missis grammaticorum testimoniis, misso etiam accentu ὤρα apud Alc. fr. 39, 2 illud monebo, vitium hoc codicis loco latere quomodocunque judicaveris. Codex enim cum ὦρα τοι praebeat, aut ὠρά τοι cum Bergkio aut ὤρα τοι scribendum est. Adjiciam, θυμὸν et in nostro carmine v. 11 legi et θυμῷ XXIX. 38, cum aeolicus accentus θῦμος satis notus sit et v. 2 Bergkium παῖδος scripsisse pro corrupto παιδα quod est in codice (cf. tamen παιδὸς v. 17), eundem v. 26 τοὶς [τοὺς], cum in libro legatur τᾶς.

Jam quaerendum est, quibusnam aut verbis aut verborum formis antea vel a Theocrito vel omnino a sermone Aeolensium alienis hoc carmine fides comparetur. Qua in re non minus quam in spiritu et accentu satis habebo enumerasse quid novi in carmine extare videretur, accuratiorem peritioribus explorationem relicturus. Primi igitur versus initio e corrupta codicis scriptura καὶ Bergkius ὤαι elicere maluit quam receptam formam αἰαῖ, teste usus Apollonio de adv. p. 537 extr. et 538, quem eundem Ahrensius laudavit d. dial. aeol. p. 17, nec potest negari, καὶ propius accedere ad ὤαι quam ad αἰαῖ, praesertim cum illud librario minus notum fuisse verisimile sit. Accedit ut latinum vae ex aeolico ὤαι vi digammi originem duxisse videatur. Tamen cum apud ipsum Theocritum αἰαῖ legatur, Id. IV. 40 αἰαῖ τῶ σκληρῶ μάλα δαίμονος ut hic cum genitivo conjunctum, nescio an rectius nostro quoque loco usitatam formam praetulerimus. Novum est quod v. 6 in codice legitur ἐρωΐα = ἐρωὴ vel ut Bergkius maluit ἐρωή neque alio testimonio munitum quam Hesychii, cui quid dandum sit alii quaerent. Deinde v. 22 ὄρη legitur tertia persona, quae Aeolensibus solet esse ὄρει, ab Ahrensio p. 139 propter infirmam grammatici in Cram. Anecd. Ox. IV. 352, 14 auctoritatem rejecta. Sequitur v. 27 βραδίως, (Bergkius βραΐδίως), praeterquam quod Hesychius s. v. testatur quod quidem sciam nusquam servatum. Cf. Ahrensium p. 34, qui eandem digammatis vim βρόδον et βράκος quod extat ap. Theocr. XXVIII. 11. effecisse demonstravit. Vide etiam Corssenum Ausspr. etc. I. 134. Item v. 28 ἄμφενα sola grammaticorum nititur auctoritate neque in ullo scriptore

Digitized by Google

lectum est. Hac sunt quae insolentes formae in libro leguntur, jam sequuntur quarum vestigia sibi Bergkius in carmine deprehendisse visus est. Itaque postquam v. 2 in codicis lectione μῆνα Heraclidem grammaticum laudavit propter formas φίλεμμι πόθεμμι, quarum ex similitudine praeter μῆνα etiam μῆννα (ut est in inscriptione Lesbiaca apud Ahrens. p. 61, cf. eundem p. 122) ratione minime carere, v. 27 μεὶς restituendum censuit non nisi grammaticis probatum, de qua re vide infra ad h. v. Idem v. 7 suspicatur in codicis lectione μελιφρύγων latere antiquiorem formam δι' ὀφρύγων, quamquam hoc cautissime protulit. Nec majore utitur fide quod v. 13 dubitanter scripsit οἴδησθ' et exemplis φίλησθα et ποθόρησθα ex Sapphone et Theocrito firmavit. Incertum est, utrum eodem versu codicis scriptura φόροις significet φόρεις an φόρης, illam tamen Bergkius praetulit, quamquam hanc vere aeolicam librariorum maxime vitio plurimis locis interiisse asseveravit. V. 19 codex ἑτέρα praebet, cujus loco forma magis aeolica ἑτέρυι a Bergkio commendatur. Porro v. 21 μελὸν scribentis errore corruptum fortasse antiquioris cujusdam formae μυίελον vestigium tulisse eidem visum est. Illud addam, quod v. 16 ἦς = ἦν Bergkius quamquam dubitanter restituit propter Sapph. fr. 106 (Ahr. fr. 57) οὐ γὰρ ἦν ἑτέρα πάϊς, apud ipsum Theocritum saepissime legi, ut II. 90. 93. 124, VI. 35, VII. 1, doricaeque dialecto videri proprium esse. Ἦν in codicibus legitur Id. II. 78 et improbante Ahrensio IV. 49. Contra novas necdum usquam repertas voces Theocrito imputavit in fine carminis δίκαον et a me servatum δεύμενον, quibus adnumerandum est φίλον producta priore syllaba.

Restat ut priusquam ad singulos versus recognoscendos progrediamur, de libri conditione pauca addamus. Illud a Bergkio praecipue commemoratum est, librarium summa cum fide quae in archetypo scripta essent depinxisse. Nam ut omittam, laude dignum esse quod omnino ad describendum carmen propter dialecti insolentiam et literarum in fine versuum maximam obscuritatem injucundissimum animum induxerit, quodque ubi germanas archetypi voces intelligere non posset, ductus accurate repetere quam sua inventa substituere maluerit, testantur hanc scribae religionem justae

formae *ἐπιτύχην ποτίδην ποντοπόρην* servatae, quales in nullo carminis XXIX apographo aetatem tulerunt. (B. ad v. 14.) Non igitur fallemur, si archetypum in bonorum et antiquorum librorum numero habebimus, unde sperandum est fore ut ceteris quoque Theocriti carminibus, quae ex eodem fonte manasse credibile est, accurata Studemundi collatione novae aliquid lucis afferatur. Obscurissimi in archetypo erant exitus versuum, quos tamen et ipsos quantum perspicere potuit librarius servavit, nec minus corruptus carminis finis videtur esse, quamquam non mancus neque mutilus ad nos pervenit. Fides tamen scribae quamvis religiosa ne in nostro quidem carmine potuit efficere, ut apographum vitiis prorsus careret. Nam ter quaterve evenit, ut literarum similitudine ductus a recta via aberraret, de quo infra uberius disputatum est. Superscriptas esse alias lectiones bis apparet v. 23 et 25; item lineam excesserunt literae bis v. 2 et 20, praeterea ab ipso librario v. 23 prius *οὐ* expunctum est.

Παιδικὰ αἰολικὰ quamquam carmina sunt mere lyrica, eisdem tamen cum ea elegia, qua querimoniae amatoriae continentur summa rerum et argumentorum intercedit similitudo. Aeolica autem dicuntur propterea quod hujus generis inventor et auctor apud Aeolenses fuit Alcaeus. Itaque eum Theocritus et carmine XXIX., cujus initium ad verbum ex Alcaeo fluxit, et nostro imitatus est, neque minus Horatius, summus Alcaei admirator, Od. IV. 10. Fortassis etiam Catullus carmen XXX. („Alphene inmemor atque unanimis false sodalibus“) ad Alcaei exemplum composuit, cujus strophae cum binorum versuum sint, cum nostro poematio aptissime comparari possunt. Artificiosis enim carminum Theocriteorum partitionibus, quas A. Peiperus nuper in Jahnii Annalibus a. 1865 p. 333 proposuit, hic locum esse minus putaverim.

CODICIS LECTIO.

Καὶ τῶ χαλεπῶ κάινομόρω τῶδε νοσήματος
τετορταῖ^S *ἔχει παῖδα ἔρως μῆνα δεύτερον*
κάλω μὲν μετρίως ἀλλ' ὀπόσον τῶ παιδὶ περιέχει

BERGKII RECENSIO.

Ὤιαι τῶ χαλεπῶ καἰνομόρω τῶδε νοσήματος·
Τετορταῖος ἔχει παῖδος ἔρως μῆνά με δεύτερον,
Κάλω μὲν μετρίως, ἀλλ' ὁπόσον τῶ παιδὶ πρέπει.

Digitized by Google

CODICIS LECTIO.

καὶ νῦν μὲν τὸ κακὸν ταῖς μὲν ἔχει ταῖς δ' οὔ.
τᾶς γᾶς τοῦτο χάρις. ταῖς δὲ π'ϧαύλαις γλυκὺ μειδίαμ8,
τάχα δ' οὐδ' ὅσον ὕπνῳ πίτυχην ἔσσετ' ἐρωΐα
ἐχθὲς γὰρ παριὼν ἔδρακε λεπτὰ μελιφρύγων
αἰδεσθεὶς ποτίδην ἀντίος ἠρεύθετο δὲ χρόα
ἔμεθεν δὲ πλέον τᾶς καρδίας σωρὸς ἐδράξατο
εἰς οἶκον δ' ἀπέβαν ἕλκος ἔχων καὶ τὸ
πολλὰ δ' εἰςκαλέσας θυμὸν ἐμαυτοῦ διέλεξε
τὶ δὴ ταῦτ' ἐπόησ ἀλοσύνας· τί ἔσχατον ἔσεται
λεύκας οὐκ ἐπΰσθησθ' ὅτι φόροις ἐν κροτάφοις τρία
ὥρα τοι φρονέσιν μὴ . . . ι νέος τὰν ἰδέαν πέλη
πάντ' ἔρδ' ὅσσα περ οἱ τῶν ἐτέων ἄρτια γεγευμένοι
καὶ μὰν ἄλλος ἐλάθειτο δ' ἄρης λώϊον ἔμμεναι
ξεῖνον τῶν χαλεπῶν παιδὸς ἔραν·
τῶ μὲν γὰρ βίος ἔρπε ρωὶ σαγόνοις ἐλάφω θοαῖς
δλάσει δ' ἑτέρα ποντοπόρην αὔριον ἀμέραν
τ'
οὐ δ' ἀν γλυκερᾶς ἀνθεμονάβας πεδιμαλικὼ
μένει τῶ δ' ὀπόθον καὶ τὸν ἔσω μιελὸν ἐσθίει

BERGKII RECENSIO.

Καὶ νῦν μὲν τὸ κακὸν ταῖς μὲν ἔχει, ταῖσι δέ μ' οὐκέτι.
Τᾶς γᾶς τοῦτο χάρις· ταῖς δὲ παραύαις γλυκὺ μειδίαι.
Τάχα δ' οὐδ' ὅσον ὕπνῳ 'πιτύχην ἔσσετ' ἐρωΐα.
Ἐχθὲς γὰρ παριὼν ἔδρακε λόξ' ἄμμε δἰ ὀφρύων,
Αἰδεσθεὶς ποτίδην ἀντίος, ἠρεύθετο δὲ χρόα.
Ἔμεθεν δὲ πλέον τᾶς κραδίας ὥ῾ρος ἐδράξατο.
Εἰς οἶκον δ' ἀπέβαν ἕλκος ἔχων καὶ τεθολωμένος.
Πολλὰ δ' εἰςκαλέσας θυμὸν ἐμαυτῷ διελεξάμαν·
Τί δὴ τοῦτ' ἐπόησ'; ἀλοσύνας τί ἔσχατον ἔσσεται;
Λεύκας οὐκ ὀΐδησθ', ὅττι φόρεις ἐν κροτάφοις τρίας;
Ὡρά τοι φρονέειν μὴ οὔ τι νέος τὰν ἰδέαν πέλῃ.
Πάντ' ἔρδ', ὅσσαπερ οἱ τῶν ἐτέων ἄρτι γεγευμένοι.
Καὶ μὰν ἄλλος ἐλάσθη· τὸ δ' ἄρ' ἦς λώϊον, ἔμμεναι
Ξεῖνον τῶν χαλεπῶν παιδὸς ἔραντι προγενεστέρῳ.
Τῷ μὲν γὰρ βίος ἕρπει προγόνοις ἴσ' ἐλάφω θοᾶς,
Τλάσεται δ' ἑτέρυι ποντοπόρην αὔριον ἀμέραν,
Οὐδ' αὐτῷ γλυκερᾶς ἄνθεμον ἄβας πεδ' ὑμαλίκων
Μέλει· τῷ δ' ὁ πόθος κατ τὸν ἔσω μυελὸν ἐσθίει

Digitized by Google

CODICIS LECTIO.

ὄμμι μνασκομένω πολλά δ' ὄρη νυκτὸς ἐνύπνιϑ
κ
παύσασϑ' δ' ἐνιαυτὸς οὐ χαλεπαὶ οὐχὶ
ταῦτα χ' ἄτερα πολλὰ ποτ' ἐμὸν ϑυμὸν ἐμεμψάμαν
ο
ὁ δὲ τοῦτ' ἔφι' ὄτις δοκεῖ μοι τὸν δολομάχαναν
νικάσειν ἔρον· οὗτος δοκεῖ μοι τᾶς ὑπὲρ ἄμμι'
εὑρεῖν βραδίως ἀστέρας ὀπποσάκιννενν εὐνέα
καὶ νῦν εἴτε ϑέλω. χρὴ με μακρὸν ἔχοντα τὸν ἄμφενα
ἕλκειν τὸν ζυγὸν· εἴτ' οὐκ ἐϑέλω ταῦτα γὰρ ὦγα ϑέος
βούλεται ϑέοσος καὶ διὸς ἔσφαλε μέγαν νόον
καὔτας κυπρογενῆας ἔμε μὰν φίλον ἐπάμερον
σμίκρας δευόμενον ἄυρας ὁ μέλλων αἴκα φορεῖ.

BERGKII RECENSIO.

Ὀμμιμνασκομένῳ· πολλὰ δ' ὄρη νυκτὸς ἐνύπνια.
Παύσασϑαι δ' ἐνιαυτὸς χαλεπᾶς οὐκὶ δύας ἄλις.
Ταῦτα χἄτερα πολλὰ προτ' ἐμὸν ϑυμὸν ἐμεμψάμαν.
Ὁ δὲ τοῦτ' ἔφαι· ὅττις δοκίμοι τὸν δολομάχανον
Νικάσειν ἔρον, οὗτος δοκίμοι τοὶς ὑπὲρ ἄμμεων
Μετρεῖν βραϊδίως ἀστέρας, ὀπποσσάκι μεὶς νέα.
Καὶ νῦν εἴτ' ἐϑέλω, χρή με μακρὸν σχόντα τὸν ἄμφενα
Ἕλκειν τὸν ζυγόν, εἴτ' οὐκ ἐϑέλω· ταῦτα γὰρ ὤγαϑος
Βούλεται ϑέος, ὃς καὶ Διὸς ἔσφαλε μέγαν νόον
Καὔτας Κυπρογενήας· ἔμε μὰν φίλον ἐπάμερον
Σμίκρας δεύμενον αὔρας ἀνέμων οὐ δίκαον φορεῖν;

v. 1 *καὶ*] Recte Bergkius *ὤαι* vel *αἰαῖ*. Non est quod de mutila carminis conditione cogitemus voce *καὶ* codicis indicata, cum praesertim ipsi versus nullum lacunae vestigium prodant. — Ceterum simillimus locus est Theocr. Id. II. v. 95 sq: *εἰ δ' ἄγε Θέστυλί μοι χαλεπᾶς νόσω εὗρέ τι μᾶχος.* | *πᾶσαν ἔχει με τάλαιναν ὁ Μύνδιος·*

v. 2 *τετορταιˢ*] Recte Bergkius = *τετορταῖος πυρετός*. De ellipsi vide L. Bosium Ell. p. 425 ed. Schaef. Praecedente enim *νοσήματος* aptissime sermo ita continuatur, ut senex se amore pueri tamquam aliqua febri teneri queratur. Nempe *ὡς* intelligendum est, de quo notissimo apud poetas usu comparari potest Dobree ad Aristophan. Plut. v. 314 et Doeringius

Digitized by Google

ad Hor. Epist. I. 2. 42. Ceterum τετορταῖος dorica forma hic legitur ut Id. XIV. 16 τετόρων ἐτέων, quam poeta praetulit aeolicae πέσυρες, cf. Ahr. p. 40.

v. 3 — 5] Versuum ordo videtur turbatus esse. Mire enim laudes pueri v. 3 et 5 dirimuntur interposito v. 4, qui non minus quam v. 6 senis querelas et ipsas sociandas continet. Deinde cum suavitas oris puerilis praedicanda esset, nimis contento et modesto amatoris animo offendimur, cujus exclamatio τᾶς γᾶς τοῦτο χάρις prorsus nequit intelligi, nisi quis cum Bergkio de peregrino homine cogitare voluerit, quae res nulla per totum carmen significatione probatur. Quo accedit, ut v. 4 illi νῦν μὲν, quod sic omni ratione caret, necessario respondere debeat v. 6 τάχα δ'. Optime autem oratio procedit transpositis versibus 4 et 5:

v. 1. Ὤιαι τῶ —
v. 2. Τετορταῖος —
v. 3. Κάλω μὲν —
v. 4. Τᾶς γᾶς —
v. 5. Καὶ νῦν μὲν —
v. 6. Τάχα δ' —,

si v. 3 pro eo quod in libro legitur ἀλλ' ὁπόσον τῷ παιδὶ περιέχει scripserimus ἀλλ' ὁπόσον παῖδα πέριξ ἔχει, vel, quod propius ad codicis scripturam accedit sed minus placet, ἀλλ' ὁπόσον τοι περὶ παῖδ' ἔχει, cf. Id. XXIII. 13 sq. φεῦγε δ' ἀπὸ χρώς | ὕβριν τᾶς ὀργᾶς περικείμενος et nostrum carmen v. 21 τῷ δ' ὁ πόθος κατ τὸν ἔσω μυελὸν ἐσθίει. Sic sententiam assecuti sumus per se sanam et loco convenientissimam. Nam verbis ὁπόσον παῖδα πέριξ ἔχει τᾶς γᾶς, τοῦτο χάρις aptissima hyperbola indicat, quidquid terrae puerum circumdet, spirare gratiam, hoc est, puerum si minus pulcrum at mira quadam gratia et suavitate venustum esse. Ceterum de tmeseos περί τι ἔχειν usu vide Schaeferum Meletem. Crit. p. 38.

v. 4 cod.] Bergkii scripturae ταῖσι δέ μ' οὐκέτι id praeferendum est, quod ipse in adnotatione conjecit ταῖσι δέ μ' οὐκ ἔχει. Praeterquam enim quod satis frigidum est illud οὐκέτι et antitheseos legitimus usus postulatur, restituta lectione ταῖσι δέ μ' οὐκ ἔχει apparet, quomodo fieri potuerit ut versuum ordo perturbaretur. Nam librarius voce ἔχει,

Digitized by Google

quam versu 3 restituimus, et homoeoteleuto inductus aberravit ad v. *καὶ νῦν* —, qui in archetypo excipiebat v. *τᾶς γᾶς* — et ipsum in vocem *ἔχει* exeuntem: quo facto praetermissum versum *τᾶς γᾶς* addidit. Illud adjiciam, miram videri ellipsin vocis *ἀμέραις*, de qua Bergkius tacuit. Nam cum singulari numero nihil crebrius sit quam v. c. *ἡ ἐπιοῦσα, ἡ αὔριον*, a plurali quod quidem sciam hic usus abhorret. Nostro tamen loco cum dubium esse nequeat quin dies numerentur, (cf. etiam v. 7 *ἐχθὲς*,) excusatio liberioris usus in promtu est.

v. 7.] Theocriti XX. 12 *λοξὰ βλέποισα* comparatio non videtur id efficere posse, quod Bergkius voluit, ut pro indubitata libri lectione *λεπτὰ* illud *λοξὰ* reponamus. Nam *λεπτὰ* simili modo apud Eurip. in Orest. v. 214 *λεπτὰ γὰρ λεύσσω κόραις* (= non multum oculis conspicio,) legitur itaque hoc quoque loco servandum est. Nec minus displicet *ἄμμε* Bergkii, cum et solum *μὲ* requiratur, (cf. v. 2. 5. 9. 10,) neque *παῖς* videatur abesse posse. Itaque scripsi:

Ἐχθὲς γὰρ παριὼν ἔδρακε [παῖς] λεπτὰ δι' ὀφρύων
Αἰδεσθεὶς ποτίδην μ' ἄντιος,

quamvis difficile sit demonstrare, quomodo [*παῖς*] excidere potuerit, cujus loco disyllabum *πάϊς* aeolico sermoni magis etiam respondeat. Non igitur invidebo, si quis, restituto tamen *λέπτ'* pro *λόξ'*, Bergkium ad verbum sequi maluerit.

v. 10. *Τεθολωμένος*] Bergkius supplevit, quod praecedente *ἕλκος ἔχων* infirmius dictum videtur. Ubi cum conjecturis laxior locus datus sit, praetulerim *καὶ τὸ* [*δέμας τακείς*] servato libri *τὸ* —.

v. 11. *τῷ*] videri potest genetivus praestare. *Διελεξάμαν* sc. non tam *ἐμαυτῷ* quam *τῷ θυμῷ*, quasi cum alio.

v. 12] Quae Bergkius aphaereseos exempla attulit ut *τί ἔσχατον* = *τἔσχατον* pronuntiatum esse nobis persuaderet, longam vocalem in fine prioris vocabuli ad unum omnia praebent neque adeo consimilia sunt nostro loco. Itaque aliquid corruptelae ibi latere apparet. Sed ne initium quidem versus suspicione caret. Praeterquam enim quod pro libri *ταῦτ'* cum Bergkio scribendum est *τοῦτ'*, mire dixit senex *τί δὴ τοῦτ' ἐπόησ'* (immo expectatur *ἐπόησας*), cum potius dicere deberet *τί δὴ τοῦτ' ἔπαθον*. Hinc conjeci

τί δῆτ' αὐτοποᾶς ἀλοσύνας τὤσχατον ἔσσεται;

Digitized by Google

cf. Theogn. v. 1300 sq. ἀλλὰ τί μοι τέρμα γένοιτο κιχεῖν | σῆς ὀργῆς; Αὐτοποιός passive legitur etiam apud Sophoclem Oed. C. v. 700. Poetae enim adjectiva composita in ος terminata etiam per tria genera declinabant, de quo vide Porsonum praef. ad Hecub. p. X sq.

v. 13 τρία] e quo Bergkius inusitatam formam τρίας elicere voluit, non dubito quin τρίχας scribendum sit, quod sententia non minus quam facillima supplendi ratione commendatur. Initio autem versus pro libri lectione οὐκ ἐπὔσθησθ' Bergkius, quamquam dubitanter, scripsit οὐκ ὄϊδησθ', illud monens, ne quis cogitaret de οὐ συνέτησθ', quod minus aptum esse nec propius ad literarum vestigia accedere. Sed literae ἐπ' vocis ἐπὔσθησθ', quae maxime huic scripturae sese opponunt, irrepsisse videntur e versu antecedenti, quo prorsus eodem loco leguntur, neque intelligere me fateor, qua de causa non aptum sit συνέτησθ' quod proxime accedit ad significationem vocis ὄϊδησθα. Itaque Bergkii emendationem aptissimo Alcaei exemplo munitam Fr. 18. 1:

Ἀσυνέτημι τῶν ἀνεμῶν στάσιν

et Hippocrateo συνετέω non dubitavi recipere. Bergkius fortasse haesit in correptione syllabae, quae apud Alcaeum et Theocritum bis producitur. Συνεχὲς adverbium apud epicos jam inde ab Homero (ut in Jl. XII. 26) et apud Theocritum XX. 12 primam habet longam (ubique tamen in arsi, ut sit dactylus): in cujusmodi locis grammatici quidam graeci συννεχὲς scribebant auctore scholiasta Veneto ad Jl. XII. 26 et apud ipsum Theocritum XXVIII. 25. ξὺν ὀλίγῳ est choriambus. At longe discrepat ξυνὸς et alia ex eo vel composita vel producta, quorum omnium ῡ semper longum est: neque enim cum isto ξὺν cohaeret sed est κοινὸς ex alia dialecto. Bergkii conjectura ὄϊδησθ' ipsi metro repugnabit neque anapaestum efficiet sed bacchium, si tamen (de quo ipse dubito) vera tradidit Stephanus Byzantius sub v. Καρία p. 359, 9, de quo Stephani loco vide Ahrensium p. 106.

v. 14] Lacunam codicis Bergkius explevit μὴ [οὔ τ] ι νέος, aptissime, nisi forte severius dictum esse videatur. Jocosior enim oratio procedit si scripserimus ὤρά τοι φρονέειν μὴ [αὖτ] ε νέος τὰν ἰδέαν πέλῃ, hoc est, noli putare te iterum florentis aetatis juvenem fieri posse. Quamquam sic

Digitized by Google

necesse erat literam *ι*, quae in codice manifesto legitur, mutare litera *ε*, quod *αὖτε*, non *αὖθι* Aeolensium est. Sic apud Sapphonem Fr. 40. 1. et Alcaeum Fr. 19. 1 *δὴ αὖτε* est per crasin. Ceterum *ἰδέα* de corporis specie usitatissimum est apud poetas, cf. Theocr. XXIX. 6 et ex Pindaro et Aristophane exempla apud Hermannum ad Nubes v. 289.

v. 17] Finem versus ita constituit Bergkius *ἔραν* [*τι προγενεστέρῳ*] ex similitudine Theocr. XXIX. 10 *ἀλλ' εἴ μοί τι πίθοιο νέος προγενεστέρῳ*. Sed in codice sub voce *ἔραν* verisimile est sequentis versus literas *ε ρωὶ* scriptas fuisse ita quidem, ut *ἐρωὶ* h. e. *ἔρῳ* tamquam varia lectio voci *ἔραν* additum esset et scribae vitio in alienam sedem aberraret, haud aliter ac supra v. 12 et 13 evenisse demonstravimus. Sic genuina codicis voce *ἔρῳ* reposita commodissimum est supplere

Ξεῖνον τῶν χαλεπῶν παῖδος ἔρῳ [*μὴ πεπονα μένον*].

Ceterum *ξεῖνος* ea quae hic postulatur significatione praeter Sophoclem etiam est apud Moschum III. 95.

v. 18] Si modo de codicis scriptura *ἔραν* v. 17. recte disputavimus, sequitur ut hunc versum liber sic exhibeat:

τῶ μὲν γὰρ βίος ἔρπε [vel *ἔρπ*] *σαγόνοις* [vel *ι σαγόνοις*] *ἐλάφω θοαῖς*,

quorum probabilis emendatio haec est:

τῷ μὲν γὰρ βίος εἶρπ' ἶσα γόνοις [*τᾶς*] *ἐλάφω θοοῖς*.

Possis etiam, quod tamen minus placet, *γοναῖς — θοαῖς*, vel lenissima conjectura [*τοῖς*] *ἐλάφω θοᾶς*. Proxime autem ad hanc lectionem jam ipse Bergkius accessit, qui et literas cum fide servavit et sententiam bene perspexit. Mirum igitur, quod de hoc loco desperare se dixit, qui idem quo utitur ingenii acumine emendationi facillimam viam muniverit. Illud tamen neglexit vir doctissimus, *προγόνοις* nostro versu locum non esse. Quod *εἶρπ'* pro praesenti tempore scripsi, id flagitante versus sententia factum est. Sed gravissimum, quod nostra lectione nobis videmur assecuti esse, illud est, ut ipsa comparationis vis perspicua facta sit. Puer enim amoris adhuc expers cum hinnulo comparatur. Similiter Hor. Od. I. 23. 1: Vitas hinnuleo me similis Chloe, cf. etiam Od. III. 11 v. 9 sq: „Quae (Lyde) velut latis equa trima

Digitized by Google

campis Ludit exsultim metuitque tangi Nuptiarum expers“ et notissimum illud Anacreontis *Πῶλε Θρηκίη* fr. 75.

v. 19 *ἐτέρα*] servavi codicis scripturam addito ut par erat iota, non improbante Bergkio, nam *ἐτέρυι* obsoleta Aeolensium forma in libro non legitur. Vide tamen Theocr. XXVIII, 5, ubi codices *τὺ δὲ*, unde Hermannus *τυίδε*.

v. 23] optima est Bergkii instauratio [*δύας ἄλις*] supplentis. Poterat etiam *χαλεπᾶν οὐκὶ* [*δυᾶν ἄλις*], quod nescio an magis codicis scripturae *χαλεπαὶ* respondeat.

v. 27] In codicis literis *ὀπποσάκιννενν εὐνέα* duplicem lectionem latere puto, qualem v. 17 detexisse nobis videmur et v. 23 fin. et 25 fin. literae superscriptae ostendunt. Nam cum literae *ενν* significent *εἴνατος*, *εὐνέα* nihil aliud est quam *ἐννέα*, confusionem autem superscripta alteri voci altera credibile est natam esse. Itaque proposui:

Εὑρεῖν βραΐδίως ἀστέρας ὀππoσσάκιν εἴνατοι,

(cf. Plat. De Legg. VII. p. 810 D *οἱ πολλάκις μυρίοι*,) h. e. qui amorem vinci posse putat, is stellas quoties novenae sint inveniri sive stellas numerari posse putabit. Numeros novenarios inde ab Homero poetis Graecis mire placuisse satis notum est. Eodem modo Plato, quem Bergkius laudavit, in Euthydemo dixit pag. 294, B: *ἦ καὶ τὰ τοιαῦτα* (*ἐπίστασθε*) *τοὺς ἀστέρας ὁπόσοι εἰσὶ καὶ τὴν ἄμμον*, et bene idem monuit, *ἀστέρας ἀριθμεῖν* proverbii loco esse de re, quae fieri nequeat. Minus tamen feliciter Bergkius *εὑρεῖν* quod in libro legitur mutavit finemque versus esse voluit *ὀππoσσάκι μεὶς νέα*, cum potius *μεὶς νέος* expectari debeat et certe pro *ὀππoσσάκι* scribendum fuerit *ἁνίκα*.

v. 29. *ὤγα θέος*] nihil aliud significare quam *ὤγαθος* Bergkio visum est. Sed dubitatio movetur comparato versu 25 *τὸν δολομάχανον ἔρον*, quomodo hoc loco poeta eundem deum *ἀγαθὸν* dicere potuerit, a quo hoc epitheton omnino abhorrere videtur. Certe nusquam memini Cupidinem hoc vel simili epitheto affectum. Refugiendum est ad ipsum carmen eamque qua institutum est artem et rationem. Facile autem intelligitur, inde a v. 12 amatorem diverbium secum ita agere, ut personas ejus dignoscamus Ipsum et Libidinem, e quibus haec alteram inde a v. 12—23 vituperans alloquitur, illa a v. 23 usque ad finem respondet.

Digitized by Google

Libido autem v. 24 θυμὸς dicitur, plane ut apud Aristophanem in Acharn. ὦ θυμέ v. 425. 455. 458. Equit. v. 1194 et apud Pindarum Olymp. II. 160 ἄγε θυμέ. Idem est animus apud Hor. Serm. I. 2. 69 Diceret haec animus: quid vis tibi? et apud Juvenalem Sat. I. 169, ubi legendum est: „Tecum prius ergo voluta Haec anime ante tubas.“ Itaque pro Bergkii ὤγαθος rescribo usitatissimum illud apud Platonem ὦγαθέ, (cf. latinum o bone, o bone vir, non sine reprehensionis significatione.) Codicis autem scriptura ὦγα θέος et ipsa putanda est ex addita explicatione vel alia lectione orta esse: cujus rei exempla supra recensui. Etenim cum prior manus scripsisset ὤγαθος [ἐ], superscriptum ἐ deinde in textum irrepsit.

Omnium corruptissimus est finis carminis, de quo tamen Bergkio non omnino assentior. Nam φίλον producta priore syllaba fateor exempla allata mihi non persuasisse. Imo latere putaverim Homericum φύλλον ἐπάμερον, Jl. 6. 146, quod aptissime deorum aeternitati opponitur. Extremus versus ita fortasse constituendus est, partim cum Bergkio

Σμίκρας δεύμενον αὔρας τὸν ἔρον κῶς ἄικες φορεῖν;

i. e. me vero, folium caducum, parvae (ad vivendum) aurae indigum quomodo tandem iniquum est ferre amorem? cf. Lysiam in Eratosth. § 28 πῶς ὑμᾶς εἰκὸς ἀποδέχεσθαι; —

MEA RECOGNITIO.

Αἰαῖ τῶ χαλεπῶ καὶνομόρω τῶδε νοσήματος·
Τετορταῖος ἔχει παῖδος ἔρως μῆνά με δεύτερον,

Κάλω μὲν μετρίως, ἀλλ' ὁπόσον παῖδα πέριξ ἔχει
Τᾶς γᾶς, τοῦτο χάρις· ταῖς δὲ παραύαις γλυκὺ μειδίαι.

Καὶ νῦν μὲν τὸ κακὸν ταῖς μὲν ἔχει, ταῖσι δ[έ μ'] οὐ[κ ἔχει]·
Τάχα δ' οὐδ' ὅσον ὕπνω 'πιτύχην ἔσσετ' ἐρωΐα.

Ἐχθὲς γὰρ παριὼν ἔδρακε [παῖς] λεπτὰ δι' ὀφρύων,
Αἰδεσθεὶς ποτίδην [μ'] ἀντίος, ἠρεύθετο δὲ χρόα.

Ἔμεθεν δὲ πλέον τᾶς κραδίας ὤ'ρος ἐδράξατο.
Εἰς οἶκον δ' ἀπέβαν ἕλκος ἔχων καὶ τὸ [δέμας ταχείς].

Πολλὰ δ' εἰσκαλέσας θυμὸν ἐμαυτῷ διελεξ[άμαν]·
Τί δῆτ' αὐτοποᾶς ἀλοσύνας τῶσχατον ἔσσεται;

Digitized by Google

Λεῦκας οὐ συνέτησθ' ὄττι φόρεις ἐν κροτάφοις τρί[χ]α[ς];
Ὡρά τοι φρονέειν, μὴ [αὖτ]ε νέος τὰν ἰδέαν πέλῃ.

Πάντ' ἔρδ' ὄσσα περ οἱ τῶν ἐτέων ἄρτι γεγευμένοι.
Καὶ μὰν ἄλλος ἐλάσθη· τὸ δ' ἄρ' ἦς λώϊον, ἔμμεναι

Ξεῖνον τῶν χαλεπῶν παῖδος ἔρω [μὴ πεπονᾳμένον].
Τῷ μὲν γὰρ βίος ε[ἴ]ρπ' ἴσα γονοῖς [τοῖς] ἐλάφω θοᾶς,

Τλάσεται δ' ἑτέρᾳ ποντοπόρην αὔριον ἀμέραν,
Οὐδ' αὐτῷ γλυκερᾶς ἄνθεμον ἄβας πεδ' ὑμαλίκω[ν]

Μέλει· τῷ δ' ὁ πόθος κατ τὸν ἔσω μυελὸν ἐσθίει
Ὀμμιμινασκομένῳ· πολλὰ δ' ὄρῃ νυκτὸς ἐνύπνια.

Παύσασθαι δ' ἐνιαυτὸς χαλεπᾶς οὐκὶ [δύας ἅλις].
Ταῦτα χἄτερα πολλὰ προτ' ἐμὸν θυμὸν ἐμεμψάμαν.

Ὁ δὲ τοῦτ' ἔφατ'· ὄττις δοκίμοι τὸν δολομάχανον
Νικάσειν ἔρον, οὗτος δοκίμοι τοὶς ὑπὲρ ἄμμ[εων]

Εὑρεῖν βρα[ϊ]δίως ἀστέρας ὀπποσσάκιν εἴνατοι.
Καὶ νῦν εἴτ' ἐθέλω, χρή με μακρὸν σχόντα τὸν ἄμφενα

Ἕλκειν τὸν ζυγόν, εἴτ' οὐκ ἐθέλω· ταῦτα γάρ, ὦγαθέ,
Βούλεται θέος, ὃς καὶ Διὸς ἔσφαλε μέγαν νόον

Καὔτας Κυπρογενήας· ἔμε μὰν φύλλον ἐπάμερον
Σμίκρας δεύμενον αὔρας τὸν ἔρον κῶς ἄϊκες φορεῖν;

Scribebam Gustroviae, Cal. Novembr. MDCCCLXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Gt 14.380
De Theocriti carmini AEolico recens
Widener Library 005534547
3 2044 085 171 171

Digitized by Google